

ad sanguinem & carnem humanam quam proximè accedunt. In usum medicum adsciscitur **FEL**, quod prodest in affectibus aurium & oculorum, & certam convenientiam habent animalia, habito tamen delectu, quo unum altero vel plus vel minus in hoc affectu convenit. **HEPAR** ad affectus epatis solet usurpari; si scilicet admoveatur. De pulmonibus quæ habet **AUCTOR**, sunt legitima. **ADEPS** porcino valdè convenit in emolliendis tumoribus & leniendis doloribus. In emolliendis tumoribus solent ingredi cataplasmata extrinsecus applicanda, ex eo quoniam minus est calidum. **Adeps** porci bulliens guttatum super lauri foliis projectus, & hoc oleo ambustus locus inunctus ille intra tres dies curabitur, quasi quodam incantamento, licet pars ambusta maximè fuerit quovisque modo. vid. **BORELL. obs. Cent. 1. obs. 76. pag. 81.** Deinde dolorem lenit ex incandescencia & inflammatione abortum. **In lardo** vis quædam magnetica residere dicitur, ratione cuius lardum commendatur in curandis vulneribus vel potius verrucis. Dicunt enim, si imponatur lardum vel potius corium lardi, die **Spec[Schwarte]** verrucis, ut incalescat, & postmodum suspendatur in camino furni, vel in fimo equino sepeliatur, fieri, ut sicut exsiccat in fumo, vel putrescit in fimo lardum, ita exsiccat & putrescat verruca, sicque absumatur. In angina cum inflammatione lingua in **der Bräune** / quando lingua est arida, combusta & exsucca, conducit lardum: Notum est, quod superius aliquoties commendatus fuerit succus semper vivi cum Θ ammoniaci, pro gargarismate vel absterfivo linguæ, quod si non sufficiat hoc sedum, ita ut lingua sit quasi combusta, nigrefacta, arida atque exsiccata, in tali affectu commendatur præ cæteris frustum lardi, & imprimis corium lardi ad motum linguæ, & ad tempus relictum linguæ impostum: Sic enim fieri dicunt, ut durities linguæ emolliatur, & instar Corii detrahi possit materia exsiccata, esseque remedium sæpius probatum. vid. **AGRICOLA in Chirurgia parva pag. 804.** & **MINDERERVS in der Kriegs-Arzney / pag. 209.** Contra tussim nimiam & vehementem ac imprimis nocturno tempore ingruentem, sunt qui commendant hoc remedium.

℞. Capit. allii cap. 3.

axungia porcina q. l.

contundantur optimè, & fiat unguentum, quo unguantur plantæ pedum vesperi ad Δ , cum itur dormitum: deinde unguatur aliquantulum spina dorsi in lecto: quod si per 3. dies factum fuerit, liberabitur æger ex vehementissima tussi noctu sive vesperi affligente. Similis illitio axungie Lucii piscis in tussi infantum commendatur. Dicit **AUCTOR not. 2.** sunt qui sola axungia verris vice sympathetici unguenti utantur &c. *Modus est hic*: recipiunt telum, quo inhiectum fuit vulnus, istudque immittunt cruentum adhuc in lardum vel pinguedinem porcina, & ita ægrum in distans curari agunt, ceu ab unguento armario: vid. **SCHMUCK, in Curationibus Magico-Magneticis**

pag. 45. **STERCUS** sequitur. Tam aliquoties dixi de stercore asinino, canino &c. quod valdè convenient in sistendis hæmorrhagiis quibuscunque. Cæterum hæc omnia stercorea superantur à stercore sive fimo porcino, quod in hæmorrhagiis quibuscunque, in specie narium omnium reliqua stercorea longo intervallo post se relinquit: sive ex stercore recenti exprimitur succus, & propineretur internè, aut applicetur fronti ac naribus internè: sive ex hoc succo cum saccharo fiat syrupus, internè assumendus: sive stercus aridum cum aqua appropriata teratur & subigatur, pro usu interno & externo: sive adhibeatur calidum stercus porcino fronti & temporibus, (dum adhuc calet ex intestinis, adhibeatur;) vel etiam olfaciendum præbeatur ægro; aut fiat suffitus naribus excipiendus: vel etiam siccum instar turunda naribus immittatur: In quocunque usu mirabilia præstat stercus porcino. Sic quidam:

℞. Pulveris stercoreis porcini exsiccati ℥iij.

addunt pulveris rosarum $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. (pro corrigendo fœtore) hos pulveres miscent cum succo plantaginis, & in hoc intingunt bombacem naribus immittendam. Melius est, si loco succi plantaginis misceatur cum succo urtica, quippe qui magis est appropriatus, de quo vid. **RODERICVS à CASTRO lib. 1. de morbis mulierum.** **RIVERIUS lib. 4. prax. cap. 8.** qualem usum & mirabilem ac insignem vim etiam deprædicat **ZACUTUS LUSITANUS lib. ult. praxeos.** **VESICA** juvat eos, qui inviti lotium reddunt, dicit **AUCTOR**: Hoc verum est non solum de vesica, sed etiam **VULVA** est specificum certissimum in incontinentia urinae, & hac ipsa dicitur quidam curatus, qui à primo ortu hac laboraverat. Ex hac vulva quidam medicus præparat specificum remedium ad partum. Matrix porcæ in fumo exsiccata, & ad $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. exhibita, singulare dicitur remedium in epilepsia. Ex porcellis junioribus imprimis fit ∇ . contra atrophiam, si destillatur: Valdè prodest in phthisi, tabe, hæctica & aliis ad atrophiam tendentibus morbis: & hæc aqua est melior illa, quam habet **AUCTOR** ex sanguine & herbis. Est etiam **LAPIS porci**, qui dicitur reperiri in stomachis porcellorum Indicorum: alii dicunt in vesica eorum fellea: Quicquid sit, multum commendatur hic lapis, & paratur exinde Panacea in morbis acutis malignis & pestilentialibus, in affectibus mulierum, apoplexia, epilepsia. In genere contra quoscunque affectus difficiles curatu: ita quidem, ut in ∇ . vel cerevisiam injiciatur per unam vel alteram quadrantem horæ, & liquor bibatur, exinde enim dicunt habere singularem effectum. Cæterum meritò irridet hunc **TACHENIUS in Hippocrate Chymico**, & non tantum esse inutilem, sed etiam ridiculum, & ut ut magni æstimetur lapis, nisi in substantia exhibeatur, in tali casu nihil præstare. Propterea **BARBETTE Tr. de Peste pag. 21.** dicit, quod constat esse lapidem ex vesicula fellea porcellorum, qui similis sit lapidi in vesicula fellea hominis reperto, & quoniam hic in vesicula humana non raro reperitur: propterea dicit il-

lum